

rem praxin comiter observantes ipsis numeris decimalibus vim Tetractyos inferre conati sunt, duplâ triplave ratione computum, quousque fieri potest, exercentes, quam *Practicam* dixerunt *Naturalem & Italicam*. Subtilissimi præsentis ævi Logistæ sub Illustri Duce Barone Merchistenii *Logarithmos* è profundissimo numerorum puteo feliciter extraxerunt, quibus Trigonometriam hæctenus mirificè juvarunt, ut *canon* ille suo jure dici possit, ut solet, *mirificus*. In quo tamen supputandi modo præterquam, quòd cœcum velut intellectum supponat bacillis logarithmicis sibi porrectis innitentem, magna difficultas est, quod pro datis & quasi domesticis numeris ubique sumendi sint vicarii, varii s. interstinctionibus fissi, calculatoribus non familiares, nec ab ipsis producti, sed peregrini, per traditionem accepti, quos *canon* sæpè sublestâ fide suppeditat. Utut autem & multiplicationem & divisionem evitet artificium, additione & subtractione, sed adhuc decimali satisque difficili, substitutâ; nequit tamen in omni computo commodè adhiberi, sed potissimum in juvandâ Trigonometriâ subsistit.

Tetractys verò prorsus universalis est, in omni computo ferens opem; ejusque numeri plebejis etiam familiares, & ab ipsis calculatoribus producti, domesticique sunt, ipsisque superstructus computus omni difficultate caret: *Additionem* enim & *multiplicationem* in veram convertit *unitatum connumerationem*, Abaco duarum saltim linearum constituto, v. g. quod *bis tria sint quatuor & duo*; sed *ter tria sint biguatuor & unum*, quod utrumque naturâ quisque jam tenet. In *subtractione tantum ad duas distancias*, quod levissimum est, rarius ad tertiam, respicit, ipsamque *divisionem* numeri seorsim propositi convertit in tam facilem, ut diximus, *subtractionem*: &